

obest plerumque iis, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur: desinunt enim suum iudicium adhibere; id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident. Nec vero probare soleo id, quod de Pythagoreis accepimus; quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, quum ex iis quaereretur, quare ita esset, respondere solitos, *ipse dixit*. Ipse autem erat Pythagoras. Tantum opinio praejudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas.

Acad. prior. II. 5. Socrates de se ipse detrahens in disputatione, plus tribuebat iis, quos volebat refellere. Ita quum aliud diceret, atque sentiret, libenter uti solitus est ea dissimulatione, quam Graeci *ἰρωνείαν* vocant.

De Fin. II. 1. Et Gorgiam et ceteros sophistas, ut e Platone intelligi potest, lusus videmus a Socrate. Is enim percontando atque interrogando elicere solebat eorum opiniones, quibuscum disserebat, ut ad ea, quae ii respondissent, si quid videretur, diceret.

Brutus VIII. Tum Leontinus Gorgias, Thrasymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Ceus, Hippias Eleus, in honore magno fuit, alique multi temporibus eisdem. Hi docere se profitebantur, arrogantibus sane verbis, quemadmodum causa inferior (ita enim loquebantur), dicendo fieri superior posset. Iis opposuit sese Socrates, qui subtilitate quadam disputandi refellere eorum instituta solebat. —

Rhet. I. 31. Socrates plurimum est inductione usus.

IV. FRAGMENTA METAPHYSICA.

De nat. Deor. I. 16—17. Quae est gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam deorum? quam appellat *πρόληψιν* Epicurus, id est, anteceptam animo rei quandam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quaeri, nec disputari potest. —